



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid sit delegatio, sive quis sit Index delegatus, & quotuplex?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## TITULUS XXIX.

## DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

## SECTIO I.

*De delegatione in genere,  
& iis, qui potestatem delegandi  
habent, vel non.*

## §. I.

*Quid sit delegatio, sive quis sit  
Iudex delegatus, & quotuplex?*

**D**elegate in genere aliud non est, quam vices suas alteri in locum suum committere; & hinc iudex delegatus (qui etiam iudex extraordinarius, & vulgò Commissarius dicitur) rectè dicitur ille, qui non ex proprio munere seu officio, sed ex commissione, vel ipsius juris, vel alterius hominis, propriam jurisdictionem habentis, immediatè aut mediatè factà, jurisdictionem exercet, ita tamen, ut distinctam jurisdictionem habeat, derivatam tamen à jurisdictione delegantis. Sunt autem varia delegatorum genera; alij dicuntur delegati à supremo Principe, Ecclesiastico scilicet vel temporali; alij delegati dicuntur ab inferioribus Principibus, aut Magistratibus; alij dicuntur delegati ad universitatem causarum, quibus vel universim omnes propè illius territorij causæ cognoscendæ sunt, vel omnes saltem causæ in certo quodam genere subalter-

no, omnes v. g. causæ decimarum, omnes causæ mutui, &c. quamvis cum restrictione ad certum locum, tempus, & quantitatem commissæ sint: alij ad certam tantum particularem causam delegati dicuntur, vel quibus commissæ sunt certarum personarum tantum causæ decidendæ: alij dicuntur delegati ratione certæ dignitatis, quam obtinent, ut cum Abbati v. g. Episcopo certi loci delegatio fit: alij sunt delegati ratione certæ personæ, quibus scilicet earum personarum nomina exprimendo fit delegatio: alij ab homine delegati dicuntur, à iudice v. g. vel magistratu ordinariam jurisdictionem habente. Alij delegati dicuntur, à jure, ex ipsius scilicet juris commissione, vel ex recepta consuetudine, quæ vim juris habet, delegatam potestatem habentes, qualem jurisdictionem habent Episcopi in quibusdam casibus Papæ reservatis, &c. & confessarij illi, quorum penitentes facultatem habent eligendi sibi confessarium, &c. alij denique dicuntur delegati, quibus primò delegata sive demandata fuerit jurisdictio; alij subdelegati qui à delegatis iterum delegantur.